

*Si potestati Sophiæ potestas
Docta Ciuili societur: almam
Vrbibus tradunt Cicero, Platoq;
Ferre salutem.*

*Hinc viri tales, Sophiæq; magni
Seculis priscis fuit estimata:
Pluris ac nostro cui sordet eius
Tempore cura.*

*Despici sed non, Seneca monente,
Nec potest, nec fas Sophiæ quæta:
Pessimos quinimò apud est honori
Philosophia.*

*Ecce vittatam, decus ad supremum,
Præstiti nauem Sophiæ Platoni
Obuiam misit Siculum benigna
Mente Tyrannus.*

*Ipse quadrigis niueis suoq;
Regio curru, prope littus, illum
Excipit, ducit, peragitq; leto
More triumphum.*

*Rex Alexander Macedo in magistri
Gratiam, reddit patriam Stagiram:
Hunc fatens dignè patrium mereri
Semper honorem.*

*Hunc Sophum tanti faciunt, columnæ
Juris, & Græcum, Latiumq; Vatem,
Vt citent illos, sua roborare
Dicta volentes.*

*Sicq; Pompeius, Mithridate victo,
Et iubet parci domui celebris
Tunc Sophi, nomen cui Possidoni,
Intrat & illam.*

*Sicq; Zenonis statua pepercit
Dum Cato victo redit hoste: quanto
Enniū dignatus honore. quanto (hic
Munere Vatem?*

*Sic Sophi, templum, Sami penates
Esse fecerunt Metapontinenses:
Et Crotonæi coluere sancti
Numinis instar.*

*Si quis aspectum meruisset eius,
Græde se quiddam ratus assecutum:
Mox id ad charos retulit propinquos,
Mox ad amicos.*

*Si cui aut huius, grauis aut Platonis,
Aut Stagirei, Mytileniæ
Pittaci, aut magni Sophiæ magistri
Esset imago:*

*Hac sua ornauit preciosa, libros:
Inde perfectus (Iuuenalis auctor)
Dictus: est magnis habitusq; maior
Ille magistris.*

*Ergo quid cessas, studiosa pubes,
Et Tubingane Sophiæ columnas
Debito cultu, reuerentia, & equo
Prosequi amore?*

*Nonit hos tellus patriæ: docendo
Sic valent: norunt aliæq; terræ:
Sic valent scriptis, alijsq; profunt
Hactenus oris.*

*Non, ais, nobis Plato, Pittacusq;
Aut Stagirites, Veteres Sophiæ:
Æmuli sed sunt: & ab his acutè
Scripta reuoluunt.*

*Corrigunt, limant, poliunt, reformant:
(Scire non Priscis fuit omne solis)
Vt suæ instillent Veterum Iuuenta
Dogmata purè.*

*De Deo vero malè sentiebant
Ethnici: Nostri bene sentientes
De Deo nobis sacra quæ reuelant
Biblia tradunt.*

*Quid sed in prisca doceant Sophiæ:
Vultibus quales fuerintq;, sintq;
Mentibus quales fuerintq;, sintq;
Nominibusq;.*

*Hec tibi doctâ simulachra dextrâ
Facta de viuis faciebus horum,
Quæq; subiunxi (breuiora in isto)
Carmina pandent.*

TESTI